

# DIALOGVS DE CA

## NONE DOCTRINAE TRI

ANGVLORVM GEORGII IOA-  
CHIMI RHETICI.

Hospes & Philomathes.



NSCRIPTIO HVIVS LIBELLI, POLLICETVR  
magna, sed quomodo muti tantum numerorum characteres, triangulorum in  
planicie & in globo doctrinam, aliquem docuerint?

Ph. Geometriae & Arithmetices imperito sunt muti characteres, sed cum  
eo, qui in disciplinis liberaliter institutus est, suauissimè confabulantur, cumq;  
caelum & terras, & naturas in his contentas eruditè contemplari docent, ita ut nusquam ocu-  
los ille conuertat, quin ab ijs aliquid cognoscere se sentiat, de summis his rebus, quae numero  
& mensura constant.

H. Hoc si uerum est ut narras, tum uerè Triangulorum doctrinam compendio horum  
numerorum contineri necesse fuerit. Sed hic Rheticus quid hominis est? cuius & antea no-  
men audiui, & nunc cerno praescriptum huic libello.

P. Qui quidem & iam hunc fructum, de amoenissimis Copernici hortis, hoc tempore ad  
nos transfert. Postquam enim ex Italia ille nuper redijt, omnia quae ab optimo sene didicit,  
& quae suo labore, assiduitate & studio acquisiuit, candidatis Mathematicum constituit liberali-  
ter communicare.

H. Videtur hoc agere, sed cur non ab alio argumento splendido & illustri Peurbachij,  
Regiomontani, & aliorum uestigia secutus, suum studium publice uoluit innotescere.

P. Non ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitat, & quomodo spetiosa dehinc mira-  
cula promat.

H. Quae haec sunt miracula, est ne à Copernico inchoata Astronomiae instauratio, quam  
ipse perficiat. Aut motuum ipsius tabulas ad scholarum usum accommodabit, quod & ego &  
multi alij desideramus. & hoc qui praestiterit, is scilicet erit, qui & Copernici mentem ac rati-  
ones perspexisse, & suam existimationem cum illius laude aequasse uideatur.

P. At hic noster, non inchoatam Astronomiae instauracionem à Copernico, sed perfe-  
ctam esse iudicat, cui nihil adijci, nihil demi, & ubi nihil loco moueri debeat aut possit, sine mul-  
tarum doctrinae partium ruina. Motuum uero tabulas ipse in scholas, nullas censet inducen-  
das, quae iuuentutem in Geometricis non exercent. Ideoque mallet ipsum Copernicum, minus  
tribuisse in componendis suis tabulis communi scholarum consuetudini.

H. Quamuis diuersum hac in parte ab eo sentiam, & Copernicus mihi non tantum in  
hypothesium constitutione, sed & in tabulis longe diuersam ab Alfonsi schola rationem uide-  
atur sequi, quam sequendam & imitandam duco: Tamen cupio audire quam rationem sit secu-  
turus in docendis motibus, & quae haec sint miracula, quae in medium prolaturum hunc ais.

P. Postquam magno labore dedidicit uulgares quasdam cognitiones, siue tu malis specu-  
lationes & *Newzeia*, eam inquam, motuum doctrinam, quae animum à Ptolomaei & solidae  
doctrinae